



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Pars II. De Spe.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Fide Christiana per Baptismum suscepta. Iisdem omnino pœnis, quibus Hæresis, sub- jicitur; nam est verè Hæresis, cum disce- datur à fide suscepta: quòd autem disce- datur totaliter, est augmentum quoddam in eadem specie.

Præter illam triplex est alia Apostasia, nempe ab Obedientia, ab Ordine Clerica- li, & à statu Religionis. Apostasia ab obe- dientia, si latè sumatur, reperitur in omni peccato mortali: si strictè, consistit in eo, quòd quis justis præceptis Superiorum suo- rum se opponat, & obedire recuset. Apo- stasia ab Ordine consistit in eo, quòd quis sacro Ordine initiatus deserit habitum Clericalem, ut more Laici vivat. Apostasia à Religione est recessus à statu Religio- so ad statum vitæ Sæcularis, dimisso ha- bitu Religionis, vel cum animo non rede- undi.

## PARS SECUNDA.

### *De Spe.*

Q. I. *Quid est Spes?*

Resp. **Q** Spes actualis est fiducia certa obtinendi beatitudinem æ- ternam per media à Deo statuta: sive est actus, quo optamus, & certò expectamus à Deo per merita Christi beatitudinem

Bb 3

æter-



æternam, seu possessionem Dei perfectam, & media illius assequendæ; eoquod Deus sit summum nostrum bonum, auxiliator omnipotens, misericors, & fidelis in promissis. Spes habitualis est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ elicitivus.

Hinc 1. Spes est actus virtualiter duplex, sive est actus æquivalens duobus actibus, quorum unus esset tantum desiderium efficax beatitudinis, seu amor Dei ut summi nostri boni, & alter esset confidentia, seu erectio voluntatis adversus difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes, fundata in auxiliis, & promissionibus divinis. Ac proinde Spei duplex est objectum formale, seu motivum unum totale constituens: nam motivum desiderii est Dei bonitas relativa, cujus possessio potest nos perfectè beare: motivum verò confidentiæ, seu erectionis est Dei virtus auxiliatrix, seu multiplex Dei perfectio, nempe benignitas, misericordia, omnipotentia, & fidelitas in promissis factis propter merita Christi.

Hinc 2. Spei objectum materiale primum est Deus possidendus, secundarium sunt media salutis à Deo instituta, nempe gratia, & bona opera ex viribus gratiæ facta, sine quibus Spes esset mera præsumptio. Item bona temporalia, quatenus per bonum usum ex gratia Dei ad salutem con-



conducere possunt : uno verbo omnia, quæ in Oratione Dominica continentur.

Hinc 3. Ad Spem pertinet timor privationis gratiæ Dei, & ejus possessionis.

Dixi, *Certa* scilicet ratione sui, & quantum est ex parte Dei : quia nititur omnipotentiâ, misericordiâ & fidelitate Dei in promissis. Unde ad Heb. 6. Dicitur *Anchora animæ tuta, ac firma*. Est tamen incerta respectu nostri. Nam non sumus certi de nostra cooperatione, & perseverantia ad salutem necessaria. *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta*. Eccl. 9. Hinc illud ad Phil. 2. *cum metu, & tremore vestram salutem operamini*.

Q. 2. *An datur speciale præceptum Spei?*

Resp. Aff. Constat 1. ex Psal. 4. *Sperate in Domino*. & 1. Pet. 1. *Sperate in eam, qua offertur vobis, gratiam*. & 1. ad Tim. 6. *Præcipe... neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo*. 2. Ex S. August. Tract. 83. in Joan. *De fide nobis, quàm multa mandata sunt, quàm multa de Spe?* 3. Quia Spes est medium ad salutem necessarium, *spe enim salvi facti sumus*. Rom. 8. estque dispositio necessaria in adulto ad justificationem obtinendam, ex Tri-



dent. sess. 6. cap. 6. Deus autem præcepit omnia media ad salutem necessaria. Præterea Deus non vult salvare adultos sine propria cooperatione, quæ non fit sine Spe, per quam voluntas tendit in Deum ut suum summum bonum, & erigitur adversus difficultates, quæ reperiuntur in virtutum exercitio. 4. Alex. VII. damnavit hanc propos. *Homo nullo unquam vite sue tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium.*

Præceptum Spei obligat ad eliciendos suo tempore actus Spei, aliosque conexos, & ad adhibenda omnia media necessaria ad beatitudinem consequendam. Prohibetque præsumptionem, desperationem, & incuriam salutis,

*Q. 3. Quando nam præceptum Spei obligat ad eliciendum actum Spei?*

*Resp.* Obligat per se, & ratione propriæ honestatis. 1. Initio usûs rationis, quando quis novit æternam beatitudinem, ad quam destinati sumus: nam tunc debet tendere ad suam beatitudinem, ac suum summum bonum, & rectè vitam suam instituire. 2. Quoties versatur in periculo desperandi, nisi actu Spei animum confirmet; nam eodem præcepto tenemur sperare, & non desperare. 3. Sæpè in de-  
cur-



curfu vitæ ; ut semper homo sit benè dispositus, & corroboratus ad bonum faciendum, & peccatum vitandum. 4. In periculo mortis ; nam tunc præcepta præsertim Deum immediatè spectantia, maximè urgent. Et tunc actus Spei necessarius est ad se confirmandum contra tentationes, & dolores.

Obligat autem per accidens 1. Quando ex præcepto eliciendus est actus aliarum virtutum, ut orationis, pœnitentiæ, &c. Quæ sine actu Spei exerceri nequeunt. 2. Quoties urget tentatio, quæ superari non potest, nisi animus corroboretur per actum Spei. 3. Actus Spei requiritur ad justificationem peccatoris adulti,

*Q. 4. Quanam sunt peccata Spei opposita?*

*Resp.* Sunt desperatio, præsumptio, & incuria salutis. Desperatio est diffidentia obtinendi beatitudinem, & media ad illam necessaria.

Præsumptio est inordinata fiducia obtinendi à Deo beatitudinem aliter, quàm ipse statuit esse obtinendam. Est autem inordinata 1. Cùm quis innititur propriæ virtuti, & viribus, ut si præsumat obtinere gloriam ex solis viribus naturæ per opera naturalia, ut faciebant Pelagiani. 2. Cùm quis inordinatè innititur omnipotentia,

Bb 5

&



& misericordiæ Dei, ut si speret, quæ Deus negare statuit, v. g. Beatitudinem sine bonis meritis, ut faciunt Calvinistæ: vel si statuatur perseverare in peccatis, quamdiu bene valet, sperans se acturum pœnitentiam in articulo mortis, ut faciunt peccatores multi. Præsumptio extenditur etiam ad tentationem Dei, de qua alibi.

Ad incuriam salutis pertinet ea animi abjectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuò frui.

Hæc peccata sunt per se mortalia, cum sint opposita virtuti Theologicæ, & graviter injuriola Deo. *Ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes.* ait S. August. Ser. 87. de verb. Evang. nov. edit.

Hinc mortale est 1. Non velle efficaciter, nec optare possessionem Dei. 2. Deliberatè cupere perpetuò manere in hac vita, & magis amare bona creata, quam possessionem Dei. 3. Ex nimio damnationis metu, & diffidentia de Dei gratia, ac misericordia, absolutè cupere annihilari, vel nunquam fuisse. 4. Desperare de obtinenda vita æterna, & venia peccatorum, emendatione vitæ, vel auxiliis gratiæ necessariis. 5. Sperare salutem sine bonis operibus ex gratia factis, vel ut debitam ob dotes, aut opera naturalia, aut veniam peccatorum sine pœnitentia. 6. Velle perseverare diu in peccatis ex Spe misericor-

cor.



cordiæ divinæ, aut post lapsum in unum mortale multa alia committere, eoquod æquè facilè sit obtinere veniam multorum, quàm unius, quasi Deus suâ misericordiâ esset fautor criminum, contra illud ad Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, &c.* Nam hæc & similia sunt divinæ bonitati, misericordiæ, vel potentiæ, vel gloriæ, vel providentiæ ac ordinationi, vel justitiæ graviter injuriosa.

## PARS TERTIA.

*De Charitate.*

### CAPUT I.

*De natura Charitatis.*

Q. I. *Quid est Charitas?*

Not. *Amor propriè dictus est affectus, quo voluntas adhæret bono, præcisè quia bonum est. Dividitur in amorem charitatis, & concupiscentiæ. Amor Charitatis, seu benevolentia est ille, quo quis amat alterum propter ipsum, & bona illius tanquam bona illius: quia sibi com-  
placet*